

Poetry - Lat. (Merk.)

# CARMEN

## DE CONFLICTU VERIS ET HIEMIS.

(Apud Ovidium de Script. eccl.)

Conveniunt subito cuncti de montibus altis  
 Pastores pecudum, vernali luce sub umbra,  
 Arboreas pariter laetas celebrare camenas.  
 Omnes hic cuculo laudes cantare parabant.  
 Ver quoque florigerò succinctus stemmate venit,  
 Frigida venit Hiems, rigidis hirsuta capillis,  
 His certamen erat cuculi de carmine grande.  
 Ver prior allusit ternos modulamine versus :

VER.

Opto meus veniat cuculus, charissimus aies,  
 Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,  
 Intret is modulans, rutilo bona carmina rostro.  
 Tum glacialis Hiems respondit voce serena;

HIEMS.

Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris ;  
 Iste famem secum semper portare suescit.

VER.

Opto meus veniat cuculus cum germine laet,  
 Frigora depellat, Phœbo comes almus in ævum;  
 Phœbus amat cuculum, crescenti luce serena.

HIEMS.

Non veniat cuculus, generat qui forte labores,  
 Prælia congerminat, requiem disjungit amaram;  
 Omnia disturbat : pelagi terræque laborant.

VER.

Quid tu, tarda Hiems, cuculo convicia cantas?  
 Qui torpore gravi tenebrosis tectus in antris,  
 Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.

HIEMS.

Sunt mihi divitiæ, sunt et convivia laeta,  
 Est requies dulcis, calidus est ignis in æde ;  
 Haec cuculus nescit, sed perfidus ille laborat.

A

VER.

Ore resert flores cuculus, et mella ministrat,  
 Adificatque domos, placidas et navigat undas,  
 Et generat soboles, laetus et vestiet agros.

HIEMS.

Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi laeta videntur :  
 Sed placet optatas gazas numerare paratas ;  
 Et gaudere cibis, simul et requiescere semper.

VER.

Quis tibi, tarda Hiems, semper dormire parata,  
 Divitias cumulat, gazas, vel congregat ulla :  
 Si ver aut æstas tibi nulla, vel ante laborat?

HIEMS.

Vera refers, illi nunquam mihi multa laborant;  
**B** Sunt etiam servi, nostra ditione subacti,  
 Jam mihi servantes domino quæcumque laborant.

Non illis dominus, sed pauper inopsque superbus,  
 Nec te jam poteris per te tu pascere tantum,  
 Ni tibi quis veniat cuculus, alimonia præstet.  
 Tunc respondit ovans, sublimi a sede Palæmon.

PALÆMON

Et Daphnis pariter, pastorum et turba piorum :  
 Desine plura, Hiems, rerum tu prodigus atrox ;  
 Et veniat cuculus, pastorum dulcis amicus ;  
 Collibus in nostris erumpant germina laeta ;  
 Pascua sit pecori, requies et dulcis in arvis ;  
 Et virides rami præstent umbracula fessis.  
**C** Uberibus plenis veniantque ad mulcra capella ;  
 Et volucres varia Phœbum sub voce salutent.  
 Quapropter citius cuculus nunc ecce venito,  
 Tum iam dulcis amor, cunctis' gratissimus hospes.  
 Omnia te exspectant, pelagi tellusque salutant :  
 Salve, dulce decus cuculus, per sæcula salve.

## EPITAPHIUM PIPPINI ET DROGONIS

*Caroli Calvi filiorum, qui, Miloni ad erudiendum commissi, ipso pueritiae tempore diem clauerunt.*

(Apud Mabill. Acta SS. ord. Bened., sect. iv.)

Quisque videns nostras solerti corde siguras,  
 Perspicie quam subito desluat orbis bonos.  
 Rege sati fuimus, nomen qui nomine duxit  
 De Magni Magnus, de Kiroli Karolus.  
 Nec licuit totum vita complectier annum,  
 Sed rapuit nostras debita mors animas.

**D** Si genitor nostram dignaris visere tumbam,  
 Rex nostros obitus ne doleas petimus.  
 Terris sublati, placida regione locati,  
 Cum sanctis requie perpetua fruimur.  
 Vos nostri memoræ felices este parentes.  
 Hoc Pippinus ego posco, simulque Drogo.